Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 269
Quelle:
Copyright:

Witzze Poenas. &c. Sed praeter haec etiam ſecundae Manus *Notata* tot Gloſſematibus ſcatet pretioſus *Codex*, ut *Gloſſaria* noſtra *Theotiſca* non parum inde ditari poſſent.

VI. J. 31.

XCIX.

834

Codex chartaceus lat. hiſp. Sec. XVI. Folior. 158. 8. complectitur: I. *Bartholomaei de Valverde et Gandia Villenatis Caſtellani* S. T. D. et Imp. *Caroli* V. Regisque *Philippi* II. Sacellani *Praefationem* Commentariorum ſuorum in *Cantica Canticorum*, quam ita inſcribit: *Inuictiſſime Imperator, Domine Clementiſſ. Inter praeclara Diuinae Legis monumenta Dominum aliquando Iſraelitis praecepiſſe legimus: Non apparebis in conſpectu meo vacuus. Ea eſt cauſa, quod exiguam quandam alterius e noſtris lucubrationibus particulam, quoniam maiora non poſſumus, Tibi offerimus; ex his enim Tua Maieſtas intelliget, qualia futura ſint, quae ſuo honorificentiſſimo Priuilegio communiuerit, et cuiusmodi rebus otium vitae noſtrae conſumamus. Quae ſi hactenus euulgata non ſunt, non voluntati, ſed fortunae noſtrae tribuendum. Vtramque, Imperator optime, habes in Tua poteſtate, cujus clementiae mea omnia commendo. T. Caeſar. Maieſt. humill. Sacell. B. Valv.* Ex his conficitur gemino Operi tunc inſudaſſe Noſtrum, alteri, nempe Expoſitioni *Cantici Cant.* alteri vero fortaſſe *Libris* Σπουδασματων XXX. quos illum ad annum 1589. paratos habuiſſe teſtatur *Nic. Antonius Bibl. Hiſp. nov.* T. I. utriusq. Edit. Neutrum tamen lucem vidit, quamvis *Commentarii*, ut audivimus, jam Caeſaris autoritate muniti forent. Quo referre licet, quod Autor de fortuna ſua queratur. Neque adeo ex *Antonio cit.* liquet, utrum geminum iſtud Opus etiamnum ſuperſit. Itaque alterius *Praefatio*, ut Tabula e naufragio, in portum Bibliothecae noſtrae enavit. Inſcribitur vero ea: *Praefatio Bartolomei Valuerde, ex ſuis Commentarijs in Cantica Cantic.* et incipit: *Quae res in ſuo genere praeclarae ſunt et eximiae, eas Diuini Scriptores, iuxta Hebraeae Linguae proprietatem, eiusdem vocis explicant geminatione, cujus alteram partem Paternus, Nominandi caſus obtineat alteram.* Iſtud porro exemplis: *Coeli Coelorum, Sancta Sanctorum, Sabbata Sabbatorum, Vanitas Vanitatum*, confirmatur. Agitur deinceps de Cauſſa, cur *Salomon* Titulum hunc ſacro ſuo Bucolico praefixerit, de aliis ejus Operibus, de ſacrae Poeſeos Biblicae Monumentis generatim, cur *Canticis Cantic.* Autor ſolum *Salomonis* nomen absque addito *Filii David*, aut *Regis Iſrael* aut *Jeruſalem* adſcripſerit, illum duas Philoſophiae partes, quarum altera in vitae inſtitutione, altera in explicanda Natura verſatur, *Proverbiis* et *Eccleſiaſte* fuiſſe complexum, μετα τα Φυσικα vero, nobiliſſimam Philoſophiae portionem, Epithalamio ſuo reſervaſſe,